

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In die festo Johannis Evangelistae

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

(439)

In die Festo Johannis Evangelistæ.

Evangelium Ioh. 21. v. 19. --- 24.

EXORDIUM

Patriarcha Jacobus *duodecim filios* habuit, *super omnes autem dilexit Joseph*, eò quòd in senectute genuisset eum, fecitque ei *tunicam polycam*, Genes. 37. v. 3.

Jacobus *typus Christi* fuit, is habuit *duodecim Apostolos*, qui quasi spirituales filii erant, quos genuerat verbo veritatis, Jac. 1. v. 18. et si igitur singulos ita amore fovaret, ut filiolos eos appellet, Joh. 13. v. 32. & omnidigentiâ ipsi prospiceret, ut ipsi fateantur, nihil sibi defuisse, Luc. 22. 35. atiamen Johannem super omnes reliquos dilexit, idèò describitur, quod in cenâ super pectus ejus recubuerit, tanquam discipulus, quem dilexit Jesus.

Aliàs non latet nos, quò discipulus locum tenere debeat, nempe secus pedes sui Præceptoris, Act. 22. v. 3. Quod verò hic discipulus in κέλευθρον τῆς ἰσθμῆς recubuerit, id signum fuit arcanæ conversationis, quæ inter utrumque fuit. Nam ut de Filio Dei scriptum est: Deum nemo vidit unquam, Unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit, Joh. 1. v. 18. Ex quo consequitur, quod filium Dei nihil latuerit, sed omnia quæ pater novit, etiam revelaverit filio, Joh. 14. v. 10. Ita etiam præci patres de Johanne scribunt, *quod idèò recubuerit in pectore Jesu, ut hauriret fluentia sapientia*, unde Petrus, cum desideraret scire, quis proditor esset, Johannem rogavit, ut indagaret quis esset, non dubitans, quin Christus id ei manifestaturus sit, Joh. 13. 24.

Quemadmodum igitur amici libenter invicem consociantur, ita pii veteres rectè fecerunt, quòd memoriam Johannis Evan-

gelistæ in tertium Nativitatis Christi diem, ordinarunt, nobis in exemplum, ut & nos in ordinem Johanniticum abeamus, veri Johannes, sive gratiosi Dei evadamus, nec dubitemus, quin cœlestis sponsus noster, nos in sinum suum suscepturus, & velut pastor bonus & fidelis, in brachio suo congregaturus, & portaturus sit, Es. 40. 11. ut in sinu ejus requiescamus, & maneamus in æternum, qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, 1. Joh. 4. 16.

Ad hoc ipsū anſa nobis subministratur, in prælecto Evangelio, in quo Christus cum Petro denuò quali paciscitur. Postquam enim ille dixerat: Etiam Domine, tu scis, quia amo te: ei oves & agnos suos denuò pascendos concredidit, & commendavit.

Nos sine ulteriori præambulo ad ipsum Evangelium nos conferemus, tractaturi ex eodem:

I. Ἀνθρῶπων λογίαν, sive *notitiam nostri.*

II. Χριστοῦ γνώσιν, sive *notitiam Christi.*

J. J.

Exegetis.

Non sine causa Jesus recens natus vocatur *Deus absconditus*, Es. 45. 15. id satis eluceſcit, non modò in summis sanctissimæ suæ incarnationis mysteriis, ubi quidem tota plenitudo in ipso σωματικῶς habitat, Col. 2. v. 9. cum tamen nihil in eo apparuerit, nisi servi forma, Phil. 2. v. 7. exceptis paucis radiis, quos in concionibus & miraculis suis de se sparsit, ex quibus hostes ipsi colligere potuerunt, sub servi illâ formâ majus quid deliteſcere. Propterea ait Nicodemus: Rabbi, scimus, quia à Deo venisti

ma-

magister, Joh. 3. v. 2. sed ostenditur quoque in mirâ regni ejus gubernatione, ubi ducit per *angusta ad angusta*, Matth. 16, 24. per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam, 2. Cor. 6, 8. tandem tamen ita moderatur, ut Deum diligentibus omnia cooperentur in bonum, Rom. 8, 28.

Primo Nativitatis die jacuit infans in cunis fasciis involutus: & tamen angelus clamavit: Hodie vobis natus est Servator. Et universus chorus militiæ cœlestis in tonuit: Gloria in excelsis Deo.

Hæc Stephanus Protomartyr factus est. Nam ut *coronam* significat: sic à mundo martyrii coronam reportavit, sed Christus loco ejus aliam ipsi coronam imposuit, nempe coronam vitæ, Apoc. 2. v. 10. Coronam justitiæ, 2. Cor. 4, 8. immarcescibilem gloriæ coronam; 1. Petr. 5, 4.

Hodie Christus Petro genesin delineat, & prædicit eidem, quod crucifigendus sit: mors illa ignominiosissima fuit, & tamē asseverat, quod eâ Deum clarificaturus sit. Hæc meræ res absconditæ sunt, quas absconditus Deus adeo absconditè miscet, ut rationi mirabile videatur & absurdum, & tamen h. m. magnificat sapientiam, Esa. 28. v. ult.

Ad notitiam nostris vero pervenimus, si spectaverimus:

1. *Petri contestationem.* Quando enim Jesus eum interrogat: Simon Jonæ, diligis me plus his? idque tertio repetit, Simon Jonæ, amas me? respondet ille: Etiam Domine, tu scis, quia amo te.

Petrus graviter adversus Dominum & Magistrum suum trinâ suâ abnegatione deliquerat: Attamen amicè eum Christus hinc affatur, & revocat ei in memoriam promissionem, quâ, si omnes scandalizati in Christo fuerint, se nunquam scandalizatum

iri, se adstrinxerat. *Ideo enim terna dilectionis confessio ab ipso petitur, ut terna negatio æquali confessionis numero compensetur*, ut Cyrillus ait. Hoc facillè subodoratur Petrus: ideo Christo quærenti: Simon Jonæ, diligis me plus his? non respondet in Comparativo, sed in Positivo: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Cum vero Dominus tertio interrogat: contristatus est, inhærens pristinæ confessioni, & dicens: Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te.

Hoc per magni refert, qui enim non amat Dominum Jesum, sit Anathema, Maharam-motha, 1. Cor. 16. v. 22. Qui igitur genuinus Christianus esse cupit, non aliam vim habet, quam amoris, hæc supereminens scientia est, Eph. 3. v. 19.

Hic vero amor non in lingua duntaxat, sed & in corde esse debet. Sicut enim de dilectione proximi Johannes dicit, quod non modo fieri debeat verbo & lingua, sed opere & veritate, 1. Joh. 3. v. 18. sic & hoc de dilectione Christi intelligatur oportet, qui cordium scrutator est, Act. 1, 24. & scit, quid in homine est, Joh. 2. v. ult.

Quod si igitur nomen gerere velis, quod Christum ex re & vero diligas, fieri id debet:

1. *Super omnia opera.* Accepit enim nomen, quod super omne nomen est, Phil. 2, 9. 11. *Diligendus igitur est super omnes angelos*, multo melior enim Angelis effectus est, Heb. 1, 4. Dan. 7, 10. *Diligendus super B. matrem virginem Mariam*, illa enim non redemit nos: Christus vero factus est nobis sapientia, & justitia, & sanctificatio & redemptio, 1. Cor. 1, 30. *Diligendus super omnes sanctos.* Sanctissimus enim est, Dan. 9, 24. *Diligendus super parentes*, quoniam pater & mater derelinquunt nos, Dominus autem assumit nos, Psal. 27. v. 10. *Diligendus super omnes*

omnes divitias, quia summum bonum est, Pf. 73. 15. *super omnem sapientiam*, stultam enim fecit sapientiam hujus mundi, 1. Cor. 1. v. 20. *super omnem gloriam*, mundus enim transit, & concupiscentia ejus, 1. Joh. 2. 17. Mecum autem sunt, ait cœlestis sapientia, divitiæ & gloria, opes, fortitudo, & justitia, Prov. 8. v. 18. *super omnes homines*, Omnes enim mendaces sunt, Pf. 116. 11. Psal. 62. 10. Sed Christus custodit veritatem in seculum Psal. 146. v. 6. & sicut dilexit suos ab initio, ita ad finem diligit eos, Joh. 13. v. 1. idè bonum est confidere in Domino, quam in homine, Psal. 118. v. 8. 9.

2. *Juxta omnia requisita*, qualia sunt

1. *Dei verbum servare*. Si quis enim diligit me, sermonem meum servabit, ait Servator, Joh. 14. v. 23. Jac. 1. v. 21. 1. Joh. 5. 33.

2. *Fratres amare*. Mandatum de dilectione Dei, quidem maximum & primum est in lege: attamen secundum simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum, Matth. 22. v. 39. Sicut igitur Christum super omnia: sic fratres in & sub Christo diligere tenemur, 1. Joh. 4. v. 19.

3. *Crucem tolerare*. Inops enim, despectus & crucifixus Christus, æque diligendus est, ac si in divina gloria & Majestate consideratur, sicut Moses opprobrium Christi, majores divitias aestimavit, thesauris Ægyptiorum, Hebr. 11. v. 26. *Christianus enim crucianus*, per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, Act. 14. v. 22.

3. *Per omnia tempora*, ut nihil nos abstrahat à dilectione Jesu, sed cum Jobo dicamus: Etiam si Dominus occiderit me, tamen sperabo in eo, Job. 13. v. 15. Matth. 10. vers. 12.

II. *Martyrii intimationem*, sic enim

Christus ad Petrum: Amen, Amen, dico tibi, cum esses junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet, quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans, quàm morte clarificaturus esset Deum.

In regionibus enim Orientalibus scolari incedere solebant, quod quia peregrinantibus impedimento erat, ut commodè proficisci non possent, zonis succingebant se, sicut Elisa ad famulum Giezi ait: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tuâ, & vade, 2. Reg. 4. v. 29. Confer; Luc. 12. v. 35. c. 17. v. 8. Joh. 13. v. 4. Act. 12. v. 8. & passim.

Q. d. Christus: jam pro lubitu tuo te cingere & ambulare potes, quorsum libet: sed aliud veniet tempus, ubi ad summam ætatem pervenisti, tum alius cinget te, h. e. manibus post terga revinctis, ducet te eum in locum, quorsum caro & sanguis invitò sequentur. Hoc non ita intelligendum est, quasi Petrus non ultroneè sed coactè, pro veritate Evangelicâ mortem sustinisset: Sicut enim Historiæ Ecclesiastica testatur, lætabundus ad martyrium properavit, & oravit, ut capite inverso cruci affigeretur, indignum enim se esse, qui capite erecto, sicut Dominus & magister suus crucifigatur: sed respicit his verbis Christus, naturam corruptæ carnis nostræ, quæ naturaliter mortem exhorrescit, quod & ipsum Petro accidere potuit. Verùm per Spiritus sancti gratiam superavit, & vitam suam propter Christum libenter profudit, ideoque invenit eam, Matth. 10. 39. vivitq; jam cum eo in æternum, 1. Thess. 4. v. 17.

Hic probes velim te, mi Christiane! utrum & ipse in omnibus voluntati Dei sponte te subjeceris, ut officium tuum requirit?

Kkk

In

*Vid. Diss. tra-
ctat. Schol. de
Circul. Alb.
p. 277. 278.*

In Oratione Dominicâ petimus: Domine fiat voluntas tua. Quod si igitur id ipsum petimus, non absolum nobis videri debet, si juxta voluntatem Dei cruce & persecutionibus affligamur: Sed confiteri potius æquum est: Omnia bene fecit, Marc. 7. vers. ult.

Equidem omnes & singuli carnem & sanguinem gerimus, & mortem perimescimus, potissimum quando audimus, hostes & persecutores veritatis adeo crudeliter homines tractare. Interim tamen per Dei gratiam & Spiritus sancti adfidentiam, vincere possumus, quando intuemur, primo Dei providentiam, secundum quam omnia demensa, ponderata & definita sunt, in numero, pondere & mensura, Sap. 11. v. 22. Deinde Martyrii Reverentiam. Clarificant enim Deum, ut Christus hic ait, eò quod non patiuntur, quasi homicidæ, aut fures, aut malefici, sed ut Christiani, propter veritatem Evangelicam, 1. Petr. 4. 14. & Tertio, Præmii excellentiam: Non enim condignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Rom. 8. v. 18. hoc respectu mortis metum facile superare, & cum Simeone dicere possumus: Nunc dimittis Domine, servum tuum in pace, Luc. 2. v. 29. In hoc mundo enim diu vivere, est diu torqueri. Quis igitur non desiderium haberet dissolvi, & esse cum Christo? Phil. 1. v. 23.

Optimum est, ut voluntati divinæ promptè nos subjiciamus: ipse novit quomodo, quando & ubi mori debeamus. Quod si ei placet, ut in lecto moriamur, dicamus: Domine, fiat voluntas tua! Quod si libitum ei fuerit, ut in manus hostium deveniamus, & violentâ morte abripiamur: Itidem di-

eamus: Fiat voluntas tua. Quod si voluerit, ut in peregrinatione vitam amittamus, rure pereamus, aut in aquis suffocemur, aut à feris discerpamur, aut à latronibus perimamur, iterum parati inquamus: Fiat voluntas tua! Nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur, Rom. 14. v. 7.

III. *Sequela commendationem.* Hic audimus, quod Christus Petro dicit: Sequere me. Cui respicienti Johannem, & quærenti: Hic autem quid? respondet Christus: Si eum volo manere, donec veniam: quid ad te? Tu me sequere. Petrus optabat, Dominum se nimis iniquè tractasse, quod sibi mortem adeò ignominiosam prædixerit: hinc invidiâ erga Johannem incitatus, eundem sibi confortem cupit, idèò quærit: Hic autem quid? q. d. Mihi supplicium fat grave designas: verum Johannem in deliciis finis, & in sinu geris, nec ullo incommodo vis affici. Propterea objurgat eum Christus, dicens: Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? liberum mihi esset, cum planè à mortalitate eximere, & ad ultimam meum adventum in vivis relinquere, id te non urere nec movere debet. Tu modò me sequere, & fac, quod tibi mandatum est, unusquisque suam onus portabit, Gal. 6. v. 5.

Hic examina te, mi Christiane! utrum es ipse obsequiosus sectator Servatoris tui semper fueris?

Neque enim Petro saltem, sed & cuilibet nostrum hoc dictum est, ut idem faciamus.

I. *Generatim*, quod Christianismum nostrum concernit. Christus enim factus nobis est & sapientia, & justitia, & sanctificatio & redemptio, 1. Cor. 1. v. 30. His omnibus naturâ

naturâ destituimur, ideo non melius face-
re possumus, quàm si ad Christum nos
convertamus, & cum Martha secus pedes
ejus sedeamus, Luc. 10. v. 39. Ipse quoque
pater cœlestis de cœlo clamat: Hic est filius
meus dilectus, Matth. 3. v. ult.

Quod si igitur Christum sequemur, re-
perimus apud illum, *sapientiam*, Psal. 51. 8.
Hab. 2. v. 4. *Justitiam*, adduxit enim justi-
tiam sempiternam, Dan. 9. v. 24. quæ & no-
bis per fidem applicabitur, Rom. 4. v. 5.
sanctificationem, reliquit enim nobis exem-
plum, ut sequamur vestigia ejus, 1. Petr. 2.
v. 24. & serviamus ei in justitiâ & sanctita-
te coram ipso, Luc. 1. v. 74. 75. *Redemptio-
nem*, copiosa enim apud eum redemptio,
Psal. 130. v. 7. Beati omnes, qui confidunt in
illo, Psal. 2. v. ult.

Hæc ita generalis vocatio est, vi cujus
quilibet eum sequi tenetur, & non desti-
tuetur omni bono, Psal. 34. v. 11.

2. *Speciatim*, hæc vocatio cujuslibet fun-
ctionem concernit, ad quam fidelitas & pru-
dentia requiritur, 2. Cor. 4. v. 2. Luc. 16.
v. 8. Hic quilibet *πολυπραγμοσύνην* fuge-
re, & negotium suum agere debet, 1. Thess.
4. v. 11. & ita ambulare, sicut Deus unum-
quemque vocavit, 1. Cor. 7. v. 17.

Consideranda autem est

1. *Respectu subjecti recipientis*. Sic Chri-
stus Petrum & Andream, ut & Johannem
& Jacobum ad Apostolatam vocat, iisque
mandat, ut omnibus relictis Evangelium
per universum orbem doceant, Matth. 4.
v. 19. 21.

Hæc sequela in specie à verbi præconi-
bus requiritur, ut exemplo Christi & Apo-
stolorum, omnia, quæ ipsis in officio suo
impedimento esse possunt, posthabeant,
& verbum Dei omni studio prædicent.

Licet enim inter Apostolos & verbi mini-
stros hoc discrimen intercedat, quod illi in
universum mundum ad Evangelium præ-
dicandum abire, jussi sint, hi verò gregem
& ecclesiam suam habeant, quæ illis deman-
data est, 1. Petr. 5. v. 2. Attamen res quædam
occurrunt, in quibus adhuc hodie verbi
ministri, Christum & Apostolos sequi de-
bent.

1. *Quoad legitimam vocationem*, Joh. 20.
v. 11. Rom. 10. v. 15. Hebr. 5. v. 9.

2. *Verbi divini prædicationem*, Joh. 7.
v. 16. 1. Tim. 6. v. 13. 1. Petr. 4. v. 11.

3. *Quoad intentionem*, non quærentes
suam, sed Dei gloriam, Joh. 8. 50. Joh. 7. 18.

4. *Politici regiminis declinationem*, Joh.
6. v. 11. c. 18. v. 56. 1. Petr. 5. v. 4. 2. Cor. 1. 24.
Luc. 22. v. 8.

5. *Impia doctrina & vita notationem*,
Matth. 13. v. 62. Apoc. 15. v. 3.

6. *Scandali vitiationem*, Joh. 8. v. 46. 2.
Cor. 6. v. 3. Rom. 2. v. 22.

Parimodo Magistratus Politicus & Pa-
tres- & Matres- familiâs Christum sequan-
tur oportet, & ita agant, sicut ab ipso in
verbo suo docentur, est enim regula &
norma in vita & doctrina, & qui illam se-
cuti fuerint, pax super illos, & misericordia,
Gal. 6. v. 15.

2. *Respectu periculi adjacentis*, si opes &
vitam propter confessionem Christi pro-
fundere debeamus. Ita Christus vocavit di-
vitem adolescentem, Matth. 19. v. 21. & Pe-
trum, quando in præsentem Evangelio ait:
Sequere me, & hoc ipso significat, quâ mor-
te clarificaturus sit Deum.

Quando igitur specialis ejusmodi voca-
tio, tempore tentationis nobis quoque
obvenit, ut domum & opes, imò vi-
tam ipsam relinquere debeamus, nostrum

fanè est, propter Christum omnia relinquere, eidemque substantiam & vitam nostram consecrare. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, &c. Luc. 14. v. 26. Hoc quidem carni & sanguini grave admodum videtur, & tamen non aliter fieri debet. *Minus te amat Domine, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat,* ait Augustinus. Proinde quotidie precibus sollicitemus Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut det nobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum ejus in interiori homine, Eph. 3. 16. sine ipso enim nihil facere possumus, Joh. 15. 5.

De Secundo.

TRansibimus nunc ad alteram partem, *Ἐπίσημοις*, sive *noticiam Christi* contemplaturi. Hic nobis commendatur in præsentem Evangelio:

I. Tanquam verus pastor. Propterea ait hic ad Petrum: *Pasce agnos meos,* & iterum: *Pasce oves meas:* Ita fideles & electos suos nominat, qui in ecclesiæ visibili cœtu inveniuntur. Ipse est *ἀρχιποιμῆν*, 1. Petr. 2. v. 25, cujus oves propriæ sunt, Joh. 10. v. 11. Petrus verò Sub-Pastor hic vocatur, ut oves & agnos pascere debeat, sicut David oves patris sui Isai pavit, 1. Sam. 16. v. 11.

Hoc pastor ali officio fungitur Servator:

1. Ratione præcessionis. Bonus pastor antecedit oves suas, iisdemque viam monstrat. Sic & Christus, Psal. 32. v. 8. *Quin & ipse est via, veritas & vita, via ne titubemus, veritas, ne erremus, & vita, ne occubamus,* Joh. 14. v. 16. *Beatus, qui non declinat, neque ad dextram, neque ad sinistram,* Esa. 30. v. 21.

2. Ratione pastionis. Bonus pastor dedu-

cit oves in sana pascua: sic & Christus agnos & oves suas pascit in montibus Israël, h. e. in verâ ecclesiâ, Ezech. 34. v. 13. Hic enim invenimus cibum immortalitatis, panem vitæ, Joh. 6. v. 48. verum fontem salvatorium, Esa. 12. v. 3, ex quo haurimus aquam vitæ, Joh. 4. v. 14. *Quin ipse cibus & potus noster fit, non modò spiritualiter in verbo per fidem: sed & sacramentaliter in cœnâ, quando corpore suo & sanguine suo nos cibatur & potatur, ut neque vita, neque mors ab ipso nos separari possit,* Rom. 8. v. 30.

3. Ratione defensionis. Bonus pastor noctu pro oviculis excubat, & contra lupum irrupturum defendit: Sic non desunt hæretici & tyranni, tanquam lupi rapaces, qui oviculis Christi insidiantur, Joh. 16. v. 2. Sed qui custodit Israël, non dormit, neque dormitat, Psal. 121. v. 4. Hinc securi dicere possumus cum August: *Non expavesimus lupum, quia bonum pastorem invenimus,* Joh. 10. v. 28.

4. Ratione requisitionis. Bonus pastor oviculam errantem reducit ad gregem: Christus similiter. Quod perierat, requiram, ait ipse Ezech. 34. v. 16. Ita requisivit Matthæum, Zachæum, Petrum, Thomam, Mariam Magdalenam, aliosque plures, Matth. 18. v. 11.

5. Ratione domi-ductionis. Ingruente tempestate & vesperâ pastor oviculas suas in caulam deducit. Sic & Christus oviculas suas quieti tradit, quando magna tribulationis tempestat mundo, vel finis vitæ nostræ ingruit, juxta illud, Esa. 26. v. 20.

Ecce! ejusmodi fidelem pastorem in Christo habemus. Sed videamus, ut & obsequentes ejus oviculæ & agni simus. *Agnus dicitur ab agnoscendo, quod matrem suam agnoscat,*

& aliorum perditionem detorquent, 2. Pet. 3. v. 16.

Quando Christus ait ad Petrum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Hinc sermo exiit inter Pontificios, quasi Christus Petrum cæcumenicum Pontificem, & caput Ecclesiæ constituerit. Sed præstigiæ sunt? non enim Christus dicit: Tu es Petrus, & super hunc Petrum &c: sed tu es Petrus, & super hanc petram (super me ipsum) ædificabo Ecclesiam meam, Matth. 16, 18.

Quando Servator in institutione verborum cæna ait: Hoc facite in mei commemorationem, Matth. 26, 27. Hinc iterum sermo exiit inter Papistas, quasi Christus hoc ipso sacrificium Missæ instituerit, quod pro peccatis & pœnis vivorum pariter ac mortuorum, modo incruento sacrificari velit, cum tamen Christus non dixerit, sacrificate, sed edite, bibite, 1. Cor. 11, 25.

Sic quando Christus ait: Edite, hoc est corpus meum; Bibite, hic est sanguis meus sermo exiit inter Reformatos, non hoc liberaliter, sed figurate intelligendum esse, de signis corporis & sanguinis Christi, ideoque panem & vinum quidem ore edendum & bibendum: per fidem vero corpus & sanguinem Domini accipienda esse. Verum Christus non dixit: Edite panem, & credite corpus: nec bibite vinum & credite sanguinem: Sed, hoc est corpus meum, & de vino: Hic est sanguis meus. Unde Paulus sic explicat: Calix benedictionis, nonne communicatio sanguinis Christi est, 1. Cor. 10. v. 6.

Nos literæ insistentes caveamus, ne circumferamur omni vento doctrinæ, Eph. 4. v. 14. Habemus enim firmiorem sermonem propheticum, 2. Pet. 1, 19.

Cum Eva à litera recederet, à diabolo seducebatur, Gen. 3. v. 16, 19. Idem accidit illis, qui adhuc hodie à litera recedunt, ut ex uno absurdo iu aliud incidant, 1. Timoth. 6. v. 4. Idque ex iusto Dei iudicio, 2. Thess. 1. v. 11, 12. Oremus proinde cum Ecclesia;

Te corde quæso supplice,
Ne tolle verbum vitæ
Tuum, meo de pectore,
Sic non queo perire
In crimine,
Nam gratiæ
Spes me tuæ fulcibit.
Hæc optima,
Fiducia,
Qua nemo deperibit.

*Ich bitt N. H. Err aus Herken Grund/
Du wollst nicht von mir nehmen
Dein heilges Wort aus meinem Mund/
So wird mich nicht beschâmen:
Mein Sünd und Schuld/
Denn in dein Huld/
Seh ich all mein Vertrauen:
Wer sich nun vest
Auf Gott verläßt/
Der wird den Himmel schauen.*

Amen, in nomine Jesu, Amen.

* *
* *

Do-